

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2065

Auteur(s) : Michel, fils de Roger de Saint-Riquier [particulier]

Bénéficiaire(s) : Thomas Toupelin, gardien du fief de Saint-Taurin [autre]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1234, mai

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Michel, fils de Roger de Saint-Riquier, du consentement de Roger, son père, vend à Thomas Toupelin, gardien du fief de Saint-Taurin à Louviers, au prix de quatre livres tournois, une rente annuelle de cinq sols sur certaines mesures à Louviers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CLVIII, p. 196.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego, Michael filius Rogeri de sancto Riquerio, cum assensu et voluntate jam nominati Rogeri, patris mei, vendidi et omnino reliqui et hac presenti carta confirmavi Thome Toupelin, tunc custodi feodi Sancti Taurini apud Loviers, et heredibus suis, pro quatuor libris turonensibus quas mihi donavit, quinque solidos annui redditus, quos mihi reddebant annuatim heredes Bartholomei de Piscaria, videlicet, medietatem in festo sancti Johannis Baptiste et medietatem ad Natale, pro quadam masura quam de me tenebant in insula quam tenebam de Thoma de Loviers, et quinque solidos annui redditus quos mihi reddebant annuatim heredes Ade Morelli ad terminos assignatos, pro quadam masura quam de me tenebant in insula jam notata. Tenendos et habendos sibi et heredibus suis, libere, quiete et pacifice et jure hereditario in perpetuum possidendos, et ad omnem voluntatem suam faciendam tanquam de sua propria hereditate, salvo jure dominico, reddendo inde dicto Thome de Loviers et heredibus suis annuatim de redditu statuto duodecim denarios monete currentis in Normannia in festo sancti Remigii. Hanc autem venditionem ego Michael jam notatus pro me et heredibus meis dicto Thome Toupelin et heredibus suis, tactis maxime sacrosanctis verbis Dei, spontanee et per fidem corporaliter prestatam fiduciavi tenendam et firmiter observandam et contra omnes gentes garantizandam et alibi si opus affuerit, in propria hereditate nostra ad valorem excambiandam, et in hac venditione a me facta renonciavi omni juri canonico et civili.

Quod ut ratum et stabile permaneat, hanc presentem cartam sigilli mei munimine confirmavi.

Actum anno gratie M° CC° tricesimo quarto, mense maii.

Hujus rei testes sunt : Gaufridus Malpetit ; Johannes de Curia ; Ricardus Parea ; Garinus et Johannes Belvacenses ; Henricus de Bernay ; Alanus Famulus ; Galterus Haymart et Stephanus, gener ejus ; Albinus Teulin ; Osbertus Sebert ; Ricardus de Aquigneyo, et plures alii.